

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 5**

Nosse debebitis... Fantonium, filium Stephani Grossi, vendidisse sancto Martino et nobis sub regimine nunc agentibus domni abbatis Alberti, anno ab incarnatione Domini MLXIII, per manus monachorum nostrorum Fulcodii et Sulionis, terram ad unam carrucam apud castrum Meduanam que dicitur terra de Montibus et est sita inter terras Stabilis presbyteri et Rotberti Grandis, inter aquam Meduane et aquam de Aredone et haiam de Cometio. Censusque ex ea redditur annuus XVI denarii ipsi Rotberto cognomento Grandi, qui etiam venditionem ipsam nobis auctorizavit, solidis pro hoc II acceptis. Auctorizavit et Hamelinus de Livariaco accipiens et ipse solidos V et donans nobismet omnes quas habebat in illa terra consuetudines, et ut omnes porci nostri ex tota obedientia illius loci, hoc est ex obedientia de Meduana, per totam forestem de Burgonio et per boscum de Comecio sint quieti sine ulla scilicet redditione pasnatici. Porci autem ex supradicta proprie terra illi quidem qui habitantum in illa sunt proprii, per eamdem forestem perque boscum eumdem ex antiqua consuetudine simili sunt ratione quieti. Extrinsecus autem ibi attracti dimidium pasnatici predicto Hamelino persolvunt, dimidium nobis. Acta sunt que supra dicta sunt testibus istis Stabili presbytero, Framengerio, genero Stabilis presbyteri, etc.